neque spiritus sanctus patrem aut filium. Cur autem et quando quod de
uno quasi de solo dicitur, de aliis intelligatur, satis supra di-
ctum est. Haec de processione spiritus sancti aliis cogentibus non idoneus
sed de eodem spiritu sancto confidens pro latinis contra graecos scribere,
et ea occasione de unitate divinitatis et de trinitate
personarum aliquid addere praesumpsi. Quoniam innumerabiles
sint inter illos qui latinis utuntur litteris, qui hoc melius quam
ego facere possint. Quicquid ergo dixi quod suscipiendum sit,
non mihi attribuatur sed spiritui veritatis. Si autem aliquid
protuli quod aliquatenus corrigendum sit, mihi imputetur non
sensui latinitatis. EXPLICIT LIBER ANSELMI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.
INCIPIT EPISTOLA DE AZIMO ET FERMENTATO SACRIFICIO.

ANSELMUS servus ecclesiae cantuariensis, Waleranno
nuenburgensi episcopo. Scienti breviter loquor. Si certus
essem prudentiam vestram non favere successori iulii caesaris
et neronis et iuliani apostatae contra successorem et vicarium
petri apostoli, libentissime vos ut amicissimum et reve-
rendum episcopum salutarem. Quoniam autem ad defensionem veritatis
quam contra graecos quia ad vos venerit quaeritis, secundum posse
nulli deesse debemus, opusculum vobis misi quod de spiritus sancti proces-
sione contra illos edidi. De sacrificio vero in quo idem graeci nobis-
cum non sentiunt, multis rationabilibus catholicis videtur
quia quod agunt non est contra fidem christianam. Nam et azimum et fer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salIX18/0100

gefördert durch
Baden-Württemberg